

IX.

Ἐνστασιὶ πορρὸ, quam à Metallis atq; lapidibus petere posses, Zabarella l. 2. de Gen. & Int. Misti c. 4. à posteriori diluit. Nam inquit: & metalla omnia & lapides omnes tandem necessariò putrescere, licet aliqua diutissimè durent. Nisi enim aurum putresceret, tanta jam esset auri copia congregata, ut omnia in aurum ferè mutata essent, ipsumque vilis admodum esset pretii. Putrescere autem metalla ex ærugine, quam emittunt, cognoscimus, eaque inferro evidens est. Imò, antiquum aurum & argentum cernitur coloratum colore obscuriori, quàm recens. Idem de lapidibus cunctis sentiendum, quamvis multa annorum millia perdurent, tamen aliquando necessariò per Putredinem in Elementa dissolvuntur, juxta, tritum;

Mors etiam faxis, marmoribusque venit.

X.

Stat igitur adhuc Arist. recto, ut dicitur, talo sententia, mista, sc. omnia & singula putrescere. Jam nos ordo jubet, misso SUBJECTO transire ad ipsam AFFECTIONEM, Putredinem nempe, per quam ἐνώσεως καὶ συµμετέρας qualitatatum in Mixto disunionem, hujusque in principia resolutionem indigitamus.

XI.

Ex datâ περιγραφήν elici poterit hæc Philosophi propositio: τῆ ἀπλῆ γένεσι μαλιστα κοινὸν, σῆψις, quam cit. Meteor. l. 2. c. ceu principium jecit ad naturam putredinis explicandam, eamq; ibidem duplici robore firmavit: Tum quia Putredo est ultimum, per quod mistum dissolvitur, quod i. hisce verbis probat. Finis autem horum, omnium putredo est, &c. 2. interitu rerum animatarum diverso. Animantium enim interitus est mors naturalis, senectus & impotentia respirandi: in stirpibus verò ariditas, quæ corruptiones in Putredinem viæ sunt. Quippè vivente corrupto mistum relinquitur, quod confestim putrescit, inque pulveres redigitur. Tum, quia mixtorum generatio & Putredo opposito ordine afficiuntur, ita, ut illâ positâ, hæc tollatur, & vicissim.

XII.

Quonam verò respectu generatio simplex ac Putredo opponantur, dispendendum: puta non penes Efficientem duntaxat, uti putat Buccafer. ut